



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De altari necessario ad sacrificium. 9

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

Aliqui limitant hanc sententiam, ne procedat quando animo reparandi omnes vel penè omnes parietes successiue illorum destructio, & reparatio fit, quia censeri debet ea destructio in communi reparatione, ac si simul contigisset. Sic tanquam satis probabile defendit Laymann. *lib. 5. sum. tract. 5. cap. 5. num. 16.* cum Panormit. in *cap. proposuisti. n. 8. de consecrat. Eccl.* Sed verius censo hanc limitationem admittendam non esse, sicuti neque eam admittunt Suar. Nauarr. Barbol. & alij supra relati, absolute docentes non indigere Ecclesiam noua consecratione, si paulatim, & successiue reparatio illius fiat, neque vllam de hac intentione mentionem facientes, & merito, quia prædictæ rationes eodem modo procedunt siue destructio, & reparatio minoris partis ex intentione destruendi, & reparandi maiorem Ecclesie partem fiat, siue non. Et enim quod magis dignum trahat ad se minus dignum, ita vt maior pars consecrata præexistens minorem partem aduenientem consecratam reddat, ex eo præcisè pendet, quod minor pars non consecrata maiori consecrata vniatur, non ex intentione, quod alia pars de nouo destruenda, & reparanda postmodum sit, talis enim destructio, & reparatio cum priori destructione, & reparatione non est coniuncta. Item non impedit esse vnam Ecclesiam moraliter, & non diuersam, quod à principio intenderis illam integrè destrueri, & reparari, si tamen successiue, & interpolatè destruxeris, & reparaueris, sicuti non est diuersus populus, cuius persona successiue pereat, & aliæ de nouo succedant, tamen si Deus illas personas interimens intendat tandem omnes interimere, & nouas creare.

PUNCTVM IX.

De Altari necessario ad Sacrificium.

1. Altare quod fuit, & est necessarium, quod duplex sit.
2. Debet esse lapideum, quia parte continet corpus, & sanguinem Christi.
3. Debet esse consecratum, & quis consecrare possit.
4. Aliqui exposulant, vt reliquias sanctorum contineat.
5. Verius est necessarium non esse.
6. Quando altare amittit consecrationem. Non amittit ex motione sigilli reliquiarum.
7. Quando ita frangitur vt pars que remanet commodè calcem, & patenam contere non possit, amittit consecrationem.
8. Tamen si cornua illius diminuantur, consecratio non amittitur.
9. Qualiter altare fixum motione exceretur.
10. Altare portatile non exceratur, esto à capsula lignea separatur.
11. Qualiter non possit sacerdos simplex celebrare, in altari, in quo illo die Episcopus celebravit.

1. Altare ad sacrificium semper necessarium fuisse probat ex omnium sententia aduersus hæreticos Belatm. *2. lib. 1. de Missa c. 16.* Si enim antiquæ legis sacrificia, imò & inania gentium sacrificia altare postularunt, quanto magis hoc admirabile, & diuinum sacrificium exposulare debet. Quocirca consecrans absque altari grauissimum peccatum committeret. Duplex est altare, aliud fixum, cuius mentio fit in *cap. si motum de consecrat. dist. 1. c. cap. 1. de consecrat. Eccl.* Aliud portatile, seu viaticum, de quo in *cap. vlt. de Priuileg. lib. 6.* Dicitur fixum, quia fixum est Ecclesie, & vt ibi firmiter perseveret, consecratur. Econtra portatile dicitur, quia consecratur, vt ex vno loco in alium portari possit. Ad sacrificium igitur celebrandum quodcumque sufficit, quippe tam portatile, quam fixum verum altare est. Nam vt rectè monet Valq. *disp. 233. cap. 2. num. 10.* priuilegium concessum Episcopo in *cap. vlt. de Priuileg. in 6.* non fuit, vt possint in altari portatili in Ecclesia celebrare; hoc enim iure commune omnibus est concessum, sed vt possint extra Ecclesiam in quouis decenti loco in eo altari sacrificium peragere.

2. Hoc altare siue fixum sit, siue portatile debet esse lapideum qua parte Corpus, & Sanguinem Christi continere debet. Nam licet ante Syluestrum Pontificem ob tyrannorum persecutionem in altaribus ligneis sacerdotibus permillum fuerit celebrare: ac à tempore Syluest. statutum omnibus est, vt non nisi in lapideo sacrificio peragatur, vt constat ex pluribus decretis quæ referuntur à Gratiano *de consecrat. dist. 1.* & tradit Gregor. Nyssen. *orat. de baptisinate.* August. *Serm. 255. de tempore.* Chrysostom. *hom. 20. in 2. epist. ad Corinth.* Solo autem Pontifici summo referuatum est altare ligneum, in quo D. Petrus obulit, vt in eo ipse solus sacrificare possit, vt legitur in vita Syluest. & in festo dedicat. Ecclesie Saluar. 9. Nouembr. Aduerte ex consuetudine recepta prædictum altare lapideum non ex duplici lapide colligato, sed ex vno integro coalescere debere, vt sic aptius vnitas persone, quæ in Christo est, representetur. Valq. *cap. 2. numer. 16.* Bonac. *quæst. 17.*

tim. punct. 9. num. 13. Item debet esse tantæ magnitudinis, vt pedem calicis, & patenam saltem ex maiori parte continere possit, aliàs sacrificio ineptum erit. Sic ex communi sententia tradit Suar. *disp. 81. sect. 5.* Agid. de Coninch. *q. 83. art. 3. dub. 2. num. 242.* Laym. *lib. 5. sum. tract. 5. cap. 5. num. 2.* Valq. *disp. 233. cap. 2. num. 16.*

3. Deinde hoc altare debet esse per Episcopum consecratum, colligitur ex *cap. altaria de consecrat. dist. 1.* Et licet ibi dicatur altaria christiatis vnctione, & Sacerdotali benedictione consecranda esse, nomine Sacerdotalis benedictionis omnes intelligunt Episcopalem. Non enim presbytero datum est aras consecrare, vt dicitur *cap. nullus presbyter. de consecrat. dist. 1.* ideoque solum pro Episcopis in Pontificali Romano præscripta est forma consecrandi altaria. Verum ex commissione Pontificis nemini est dubium simplicem Sacerdotem posse altaria consecrare, ideoque Paul. III. an 1549. Societatis Iesu religiosi in remotissimis partibus degentibus, vbi catholicus Episcopus inueniri non potest, concessit facultatem altaria consecrandi, quam facultatem Minoribus concessit Honorius III. vt in eorum monumentis habetur, *concess. 212.* & referretur in *compend. priuileg. Societ. Iesu, verbo Ecclesia.* §. 1. Et Adrian. V. I. Minoris ordinis Prouincialibus Ingliarum, & Fratibus, quibus ipsi commiserunt facultatem dedit consecrandi altaria, & Calices etiam pro vltimo alieno in casu necessitatis, Episcopi in Prouincia non existentibus, sicuti testatur Rodrig. *1. i. quæst. regul. q. 28. art. 2.* Quinimo Gregor. XIV. teste eodem Rodrig. omnibus Abbatibus Cisterciensis Ordinis priuilegium concessit aras, & Calices consecrandi. Celebrare autem absque hoc altari lapideo consecrato ab eo qui potestatem consecrandi habuerit, mortale peccatum est, sicuti docent ex omnium sententia Valq. *disp. 233. cap. 2. n. 12.* Suar. *disp. 81. sect. 5.* Eman. Saà, *verbo Altare in fine,* aduersus Victor. *de Eucharist. num. 98.* affirmantem, si absit scandalum, aut contemptus, mortale peccatum non esse.

4. Præter prædictas conditiones aliqui Doctores exposulant vt conditionem necessariam maximè pro altari fixo, vt aliquorum Sanctorum reliquias in se habeat inclusas. Ita Durand. *lib. 1. rational. diuinar. officior. cap. 7. n. 21.* Syluest. *verbo altare q. 1.* Azor. *1. 1. l. 10. cap. 27. q. 8.* Scotia *lib. 2. cap. 14. n. 4.* Fauetque Ecclesia in introitu Missæ orans per merita Sanctorum, quorum reliquie in eo altari sunt. Supponit ergo ibi Sanctorum reliquias adesse. Mouentur ij Doctores ex concilio Cathagin. *5. can. 14.* & Africano. *cap. 50. relatis in cap. placuit de consecrat. dist. 1.* vbi præcipitur altaria in quibus nullum corpus, aut reliquie Martyrum probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsent (si fieri potest) eueri. Quod si dicas præcipi eueri altaria, in quibus nullum corpus, aut reliquie certe condite probantur, quia occasio erat superstitionis, non vero altaria reliquiis carentia. Obstat, quia eadem occasio superstitionis est, si altaria frequentes, putans ibi aliquid sanctum corpus, vel reliquias Martyrum adesse, cum tamen nullum sit. Cum ergo illis temporibus nullum altare erigeretur, quin in eo sanctorum Martyrum reliquie conderentur, merito præcipitur ea altaria eueri, in quibus nullum corpus, aut reliquie Martyrum condite probantur. At si propter populii tumultum id fieri non possit, admonentur fideles, ne ea loca tanquam Martyrum reliquiis sacra frequentent. Deinde mouentur ex *can. 7. septima synodi generalis,* vbi præcipitur ne templum sine sacris reliquiis consecratur, at templum non in parietibus, sed in altari continere reliquias debet. Ergo tacite definitur, ne altaria sine sacris reliquiis consecrentur.

5. Cæterum est decentissimum sit, vt altaria maximè fixa reliquias probatas Sanctorum contineant, at id neque est, nec fuit necessarium ex præcepto. Sic docent Panormit. *c. 1. de consecrat. Eccl. ad num. 2.* Suar. *disp. 81. sect. 5.* Agid. de Coninch. *quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 241.* Valq. *disp. 233. cap. 2. num. 16.* Laymann. *lib. 5. sum. tract. 5. capite 5. numer. 8.* Et quidem esse decentissimum, & à Prælati Ecclesie procurandum per se patet, idque non leuiter indicat illa oratio, quam in introitu Missæ sacerdos recitat. Quod vero nunquam fuerit præceptum generale latum de hac reliquiarum continentia, probatur expendendo textus, quibus opposita sententia nititur. Nam *cap. placuit* est præceptum continere, cum non fuerit alicuius concilij Generalis, sed Prouincialis obligatæ non potuit vniuersam Ecclesiam. Deinde nego Concilium prohibere altaria absque reliquiis consecrari pro sacrificio celebrando, sed prohibere absque reliquiis consecrari tanquam Martyrum memorias. Hæc enim altaria per agros & per villas tanquam Martyrum Memorias constructa absque reliquiis merito prædicta Concilia prohibent, & præcipiunt eueri, quia superstitionum est altaria frequentare vt corpus, & reliquias Martyrum continentia, cum tamen nullum corpus, vel reliquias martyrum contineat: ideoque subdit Concilium. Nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi vbi corpus, aut reliquie certæ sint, aut origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima

illima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi reuelationes, quorumlibet hominum vbiicumque conseruuntur altaria, omnino reproberunt. Textus vero *can. 7. septima Synodi generalis* non conuincit, quia esto præceptum ibi fuerit, nullum templum absque Sanctorum reliquijs consecratur: non inde inferitur quodlibet altare illius templi reliquias martyrum continere debere; sufficit enim si aliquot illius reliquias contineat. Adde ad satisfaciendum prædicto precepto opus non esse reliquias martyrum in ipso altari sumptio altari pro ara sacrificij, includi, sufficit si in altari communiter sumptio adfuit, sicuti adfuit imagines, & alia altaris ornamenta.

Sed gratis admissio, quod antiquo tempore fuerit præceptum ne vllum altare consecratur absque reliquijs Sanctorum in ipso inclusis, dicendum necessario est consuetudine abrogatum esse. Etenim altaria ita multiplicata sunt ex necessitate, vt vix pro tot altaribus reliquias certæ Sanctorum possint inueniri: nulla igitur est obligatio includendi ibi reliquias. Neque obstat Ecclesiam in introitu Missæ orare Dominum pro merita Sanctorum, quorum reliquias ibi sunt, quia intelligi debet conditionaliter, si ibi sint: præstat enim hinc sensum Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquias hic sunt, id est quorum reliquias hic fuerint, & omnium Sanctorum. Sententia verò Durand. lib. 1. *Rational. diuini officij. cap. 7. num. 21. & Ioann. Andr. in cap. placitis de consecrat. disp. 1. afferentium loco reliquiarum particulam hostiæ consecratae apponi in ara posse, sustinenda non est, sed omnino reprobanda. Est enim contra reuerentiam debitam sacramentum illud corruptioni exponere, atque ita relato Panormit. docet. Valq. disp. 233. cap. 2. num. 17. Egid. de Coninch. q. 83. art. 3. dub. 2. num. 242. Suar. disp. 8. sect. 5. Eman. Saâ, verbo altare in fine.*

6. Superest dicendum, quando altare tam fixum, quam portatile consecrationem amittat. Affirmat communis sententia altare reliquias Sanctorum in se continens consecrationem amittere, si focus, seu sigillum eas reliquias continens frangatur, aut moueatur. Sic docent Canonistæ in cap. 1. *cap. ligneis de consecrat. altaris. Siluest. verbo altare. q. 8. Ang. q. 2. Saâ. num. 1. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 6. n. 9. vers. exinde. Barbosa, plures allegans, 2. p. de potest. Episc. alleg. 27. n. 25. & 26. Bonac. disp. 4. q. ult. pun. 9. num. 15. Mouentur ex dicto cap. 1. de consecrat. Eccles. ibi. Adhæc si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continens contractus, aut etiam diminutus, debet iterum consecrari.*

Verum vt rectè notauit Egid. de Coninch. q. 83. art. 3. dub. 2. num. 240. & Layman. dicto, loco. ex prædicto textu nullatenus colligitur altare execrari fractione, seu motione sigilli reliquias continentis, sed solum fractione, seu diminutione lapidis superpositi sigillio, quod longè diuersum est. At cum consecratio ex iure tantum positio pendeat, & communis sententia affirmet fractione, seu motione sigilli reliquias continentis altare execrari, credendum est vsu, & consuetudine sic firmatum esse, à quo recedere indecens erit, sicuti notauit Layman. dicto cap. 6. num.

7. Deinde altare tam fixum, quam portatile consecrationem amittit, si ita frangatur, aut diminuat, vt pars quæ integra remanet calicem cum patena commodè continere non possit: quia eo ipso redditur ineptum muneris sacrificij. Sic omnes doctores referendi. At si pars quæ remanet commodè calicem cum patena continere possit consecrationem non amittit, quia non amittit formam sibi debitam altaris enim forma nulla alia signata est præter magnitudinem, quæ calicem cum patena contineat, quare ea magnitudine perseuerant & forma altaris remanet, & consecratio perseuerat, vt colligitur ex cap. 1. *lignis. cap. quod in dubijs. de consecrat. Eccles. vel altaris. & tradunt Syluest. verbo altare. q. 8. eman. Saâ. num. 1. Suar. disp. 81. sect. 5. Valq. disp. 233. cap. 2. sub num. 12. Egid. de Coninch. q. 83. art. 3. dub. 2. num. 239. Bonac. disp. 4. de sacram. q. vult. p. 9. num. 15. Barbosa. alleg. 27. num. 25. Layman. dicto. cap. 6. num. 3. Cum autem dubium est, an diminutio, seu fractura impediatur legitimam calicis, & patenæ continentiam Episcopus iudicare debet, neque alteri arbitrium committitur. Barbosa. Bonac. Layman. loc. alleg.*

8. Altaris consecrationem amitti, si cornua illius frangantur, seu diminuantur, tamen pars remanens calicem, & patenam commodè continere possit affirmat Syluest. verbo altaris. q. 8. Armilla. num. 10. Henrici. lib. 9. cap. 28. num. 1. in consil. R. Barbosa. alleg. 27. num. 26. Bonac. pun. 9. num. 15. Mouentur, quia illis in partibus sacra fit vnctio, & consecratio. Ergo illis partibus preuentibus consecratur. petiit. Cæterum oppositum verius est, quia esto illis in partibus vnctio, & consecratio facta fuerit, at tota ara ex ea vnctione redditur consecrata. Quam consecrationem amittere non poterit, dum sacrificio peragendo apta fuerit. Sic Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 6. num. 6.

9. Motione absque fractione vlla altare fixum execratur, si lapis superpositus ab structura, cui est affixus separetur. De-

ciditur expressè *cap. ad hæc. cap. quod in dubijs, cap. ligneis de consecrat. Eccles. vel altaris. Quia vt dicit Glossa in dicto. c. ad hoc altare fixum vt fixum & stabile perseueret, consecratur. Quod si altare fixum permanere firmiter possit, aliquibus lapidibus structura dimotis, consecrationem non perdit, quia absolute eandem formam retinet, sub qua fuit consecratum, vt bene alijs relatis docuit Valq. disp. 233. cap. 2. num. 13. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 6. num. 3. Suar. disp. 81. sect. 5. in medio. Quinimo si tota mensa simul cum lapidibus quibus inhaeret de loco in locum moueatur, affirmat Valquez & Suar. non obinde execrari, quia prædicti textus non de motione, & separatione locali, sed de motione, & separatione ab structura loquitur. Neque mihi displicet dictum Tabien, verbo altare §. 5. in cuius fauorem propendit Suar. dicta sect. 5. in medio, altare fixum tunc amittere consecrationem per separationem superioris mensæ à columnis, quando consecratur, vt fixum, & immobile. Secus quando prius consecratur mensa, & postmodum structura superponitur. Ex eo autem quod altare fixum motione, vel fractione consecrationem perdat, Ecclesia nullatenus execrata censenda est, ex decisione textus in cap. ad hæc de consecrat. Ecclesie, declarantis, seu corrigentis textum in e. motum de consecrat. disp. 1. & tradunt Glossa ibi. Valq. & Suar. locis allegatis. Adde execrata Ecclesia, quia eius parietes combusti, vel collapsi sunt, altare consecratum permanere poterit. Et è contra altare execratum esse potest, tamen, Ecclesia consecrationem retineat, quia consecratione distincta consecrata sunt Syluest. verbo altare. q. 11. Mirad. t. 2. man. Prælat. q. 39. art. 7. Suar. disp. 81. sect. 5. vers. in tertia parte Barbosa. alleg. 27. num. 26. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 5. in fine. Aliter vero dicendum est de pollutione, nam altari polluto per sanguinis, vel seminis effusionem Ecclesia polluta est. Et è contra Ecclesia polluta omnia altaria fixa ibidem existentia polluta censentur, quia pollutio quolibet loco Ecclesie contingens totam Ecclesiam, eiusque cæmeterium contiguam afficit: & notauit Layman. loco allegato.*

10. Difficultas est, an altare portatile consecratione indigeat, si à ligneis seu capsula, cui est inclusum separetur? Affirmant Paludan in 4. dist. 33. quæst. 2. art. 4. concl. 2. Angel. verbo altare num. 2. & moueri pollunt, quia textus in cap. 1. c. quod in dubijs. cap. ligneis de consecrat. Eccl. afferentes per fractionem, seu motiorem lapidis ab structura consecrationem amitti, generaliter de altari loquuntur, nec decisionem limitant ad altare fixum. Cæterum etsi prædicti textus manifestè non expresserint, de solo altari fixo doctrinam intelligendam esse: At satis ex illis colligitur præcipue cum altare portatile vt ex vno loco in alium moueri possit institutum sit, & capsula illa ligneæ, in qua ara includitur non pro forma, sed ad ornatum, & custodiam apponatur. Non igitur ex illius motione, & separatione amittere altare consecrationem debet, vt bene docuit Abbas, dicto cap. 1. de consecrat. Eccles. Syluest. verbo altare. quæst. 9. uar. disp. 81. sect. 5. in medio. Valq. disp. 233. cap. 2. post med. Egid. de Coninch. q. 83. art. 2. dub. 2. n. 239. Eman. Saâ, verbo altare. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 6. num. 5.

11. Tandem in cap. ult. de consecrat. disp. 2. statuitur, vt in altari in quo Episcopus Missam cantauit, presbyter eodem die aliam celebrare non præsumat ob reuerentiam Episcopo debitam. Sed hoc intelligendum est inquit Azor. instit. moral. 1. p. lib. 1. cap. 27. q. 10. Barbosa. alleg. 27. num. 26. in fine, quando Episcopus in suis Ecclesijs, & in propria diocesi, & solemnè cæremônia, & religione rem diuinam celebrauerit. Et licentia tamen Episcopi, vel necessitate urgente optime poterit sacerdos ibidem celebrare, sicuti notauit Glossa suprad. cap. Henrici. lib. 9. c. 28. num. 1. Quinimo præceptum hoc consuetudine ferè vbiq; abrogatum esse testantur Scortia lib. 2. de sacrificio c. 14. num. 6. Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 6. num. 10.

PUNCTUM X.

De ornatu altaris, vasis, & vestibus sacris, aliisque ad celebrationem requisitis.

1. Quibus lineis altare exornandum sit.
2. Parua palla, & purificatorium requiritur.
3. Requiritur lumen, & ex qua materia.
4. Item liber Missalis, & qualiter.
5. Debet esse altare Cruce exornatum.
6. Patena, & calix consecratus ab Episcopo vel habente priuilegium.
7. Vasis, in qua sacramentum reponitur debet esse benedicta, & ex materia qua calix, sed non necessario.
8. Adesse debent vestimenta sacra benedicta.
9. Ob decentiam calcæatus sacerdos accedere debet.
10. Quando cooperto capite celebrare possit.
11. Debet in sacrificio sacerdos habere ministrum non sceminam, sed virum.

Episcopus